



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

95. De Alpaidis dimissione, poenitentiâ, exitu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

De Alpaidis dimissione, poenitentia, exitu.



Ipinus Princeps animo tandem tum
 per S. Huberti monita, tum per hor-
 rendas plagas Lamberti percussori-
 bus immisas plane immutato, pellicem
 à suo consortio abijcere ferè
 disponit. Adornatâ honorificâ lega-
 tione Plestrudem legitimam coniugem
 (quæ, secundum Texera, erat
 filia Grimoaldi Baiorum Ducis) Colonia, ubi hætenus
 se continerat, euocat, in antiqua Matrimonij iura recipit,
 fidem illibatam deinceps promittens. Alpaidem,
 cui iam per quinque annos conuixerat, licet multum
 querentem, multa prætendentem à se dimittit, ma-
 lens ulterius Diuino præcepto, quam scorti quærimo-
 nijs obaudire, pro vt supra est probatum. Dimissa pri-
 mò includitur Monasterio Virginum non ita dudum fun-
 dato per beatam Landradam N. V. saltu Belisæ eo Austras-
 iæ tractu qui nunc est Ditiò Leodiensis: floretque etiam-
 num sub ritu Canonicarum nobilium dictum vernaculè
Munster Wilsen. In hoc latuit Alpais vsque dum Orpien-
 se Cœnobium satagente Pipino absolueretur, in quod
 perfectum translata, vitam vsque ad obitum Pipini tran-
 segit. De latibulo & fine Alpaidis variant scriptores. Alij
 ibi poenitentia pro delictis egissereligiøseque suo fato qui-
 euisse: alij aliter. apud Iohannem Roberti hæc sunt: *Al-
 paidem in peccatis inueteratam, obduratamque Hubertus anathemate
 percussit: mox rectius sapientem, Belisensi Ecclesie includit, lacry-
 mis, & spontaneis pœnis peccata expiaturam. Unde in recens ex-
 structum Monasterium Orpen transire iussa est, quò Pipinus ex Ni-
 sellensi*

uellensi Parthenone, sacras Virgines, Deo, & sibi victuras euocauerat. Sed manebat eam Zelantis Dei ultio, quam S. Lamberti innocens sanguis expetebat. Verba iam Happart accipe: Sed audi parumper quorsum res deuenit. Plaudus Comes de Osterne, frater S. Lamberti (bellico tumultu inter Principes oportunitatem praestante) in Orpen venit euulsamq; Alpaidem igne combussit, Martello (erat hic Alpaidis filius ex adulterio Pipini) rem ob sancti Martis furorem dissimulante.

Hæc vltima Roberti mihi primùm legenti noua videbantur, eo quod apud neminem authorum, quos plurimòs euolueram, simile quid de Alpaidis clade occurrisset, & noua videbantur pariter ijs quibus hæc communicabam. Verùm attentior, mox fidem non inuitus accommodaui.

1. Quod producat hæc ex vetusto scriptore Adolpho Happart vetustissimi Andainensis Monasterij monacho, qui diligentissimus in S. Huberti, alijsque affinibus describendis, profiteretur sanctè, se nihil allaturum, quod ab idoneis Authoribus non hauserit.

2. Memini apud non neminem legisse Alpaidem Orpiensi Parthenone inclusam non semel à S. Lamberti fautoribus oppugnata. Cuius rei fidem facere potest collis etiamnum spectabilis & à me sæpius spectatus ante Orpiensis Cœnobij diruti Ecclesiam, qui traditur fuisse vnum ex munimentis ad defensionem Alpaidis. Mox audio collem illum ab aliquot diebus esse dissectum ac in eo inuentas partes cadauerum, in argumentum probabile extitisse munitionem, habitatores præsidarios, qui de functi inibi sepulturam acceperunt.

3. Hugardia pagus celebris, vbi Alpais Collegium Canonicorum fundauit, distans duabus plus minus leucis ab Orpio, creditur denominata à custodia quam incolæ assueuerant

affueverant Alpaidi exhibere, quasi *Hoeren guarde* id est custodia meretricis. ita plurimos audiui illud nomen interpretari. Certè hinc ostenditur traditionem habere, Alpaidem non sine timore inimicorum versatam, & vicina loca ipsius odio fuisse infesta. Ac verosimile admodum est, amicos, familiares, clientes S. Lamberti, à persecutione pellicis & vindictâ de sacro innocenti sanguine sumendâ non quieuisse, atque eam statim perfecisse defuncto Pipino dum res Austrasiæ essent turbatissimæ, Martellus à Plectrude nouercâ carceri mancipatus, thesauris patris spoliatus: imò ipsa Plectrudis memor iniuriarum, & maiorum verens, meretricem continere conatur. Neque his expressè contraueniunt cæteri scriptores: consistit enim violenta illa mors cum eo quod dicatur in Orpiensi Monasterio poenitentiam egisse, quam diu scilicet Pipinus viuebat: item quod religiosè obierit, æquo ac patienti animo supplicium in expiationem suorum delictorum perferendo. Ex dictis probabiliter colligas Alpaidem vitam mortalem exuisse vel in fine anni 714. quo obiit Pipinus: vel potius anno 715, quo regnante Plectrude cum nepote Theobaldo Martellus incarceratus, inermis, matri succurrere non valeret; aut elapsus infelicibus prælijs quateretur.

T 2

DISSERT-